

**05**  
**A**  
**1912**





17  
12

Disputatio  
De  
PERSONA CHRISTI  
ASSERENS DVARVM IN EA  
Naturarum Unionem Hypostaticam:  
Quam  
EODEM ANNVENTE:

PRÆSIDE

Reverendo & Clarissimo Viro

Dn. LEONHARTO HÜTTERO,

S.S. Theologiæ Doctore & Professore Publico,  
Præceptore suo reverenter colendo,

*In inclyta Academia VVitebergensi exercitij  
gratiâ proponit*

M. Erasmus Zolnerus Ratis-  
ponensis.

*Die 12. Septembris.*

*Horis antemeridianis in Auditorio majori.*

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Iohan. Gorman,  
Anno M. DC. VII.

*Reverendo & Clarissimo Viro Domino M. Christophoro Donavero  
Cæsaris Ratisponæ huius Anterioris Disputationis Præceptore*

Magnifico , Nobilissimo atq;  
Amplissimo Viro,

Dn. IONÆ PAULO VVOLFIO,  
Confuli Ratisponēſium pru-  
dentissimo ibidemque Eccle-  
ſiaſtici Synedrij Directori &  
Præſidi digniſſimo, Mecœna-  
ti meo devotâ obſervan-  
tiâ colendo.

Reverendis item , Clariſſimis & Conſultiſſimis  
Viris, ejuſdem Synedrij Aſſeſſoribus  
ſolertiſſimis,

Dominiſ Mecœnatibus, Fautoribus & Amicis nullo non  
obſervantiæ cultu proſequendis

*Haſce ſuas exercitij Theologiæ lucubrationes  
in animi grati obligationem ſuiq; commenda-  
tionem devotè offert & dedicat.*

M. Erasmus Zolnerus,  
Respondens.



054 1912

# Thesis prima.



*Q*UOD D. BERNHARDVS DE SACRAMENTIS pronunciat Epistolâ 77. Esse scilicet Sacramentum Dei altissimi fide suscipiendum, non discutiendum, venerandum & admirandum non dijudicandum, aut ad rationis vel sapientie humanae calculum revocandum, ratione in obsequium Christi captivâ ductâ, & malè valere jussis speculationibus extra verbum, absurditatibus & contradictionibus rationis humanae, &c. idem & nos jure optimo de hoc Unione duarum naturarum in CHRISTO, Sacramento, uti D. Ambrosius loquitur affirmare possumus.

## II.

Est enim Unio uti Paulus inquit, 1. Tim. 3. v. 16. ὁμολογούμενος μέγα τῆς εὐσεβείας μυστήριον, & reverâ sapientia in mysterio abscondita, quam nemo principum hujus seculi cognovit, quod Deus manifestatus est in carne: & Verbum caro factum est.

## III.

Hinc D. Augustinus haud in scitè: Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod fateamur nos investigare non posse: in talibus rebus tota ratio est facti potentia facientis. Epist. 3.

## IV.

Sed quicquid sit, nihil certè obstat, quominus praelucente caelesti divinae sapientiae pharo, de hoc ipso mysterio, quantumvis ἀπρόητῳ συζητήσιῳ instituiamus: sed eâ lege atque conditione ut intra verbi revelati cancellos atque crepidines nos contineamus.

## V.

Placet autem hac quidem vice, tantùm sub Disputationis incudem revocare eam questionem, quae de Unione hypostaticâ dua-

rum naturarum in CHRISTO, ejusdemq; modo agitur: idq;  
tūm in thesi, tūm in antithesi.

## CAPVT I.

sive

Purior Ecclesiarum nostrarum doctrina.

I.

Circa hanc autem questionem duo potissimum consideranda  
veniunt, 1. τὸ ἐνοσχημαθεὺς ἢ incarnatum vel persona incarnata.  
2. τὸ ὅτι τῆς ἐνοσχημασεως, id est, modus incarnationis.

II.

Quoad prius personam nimirum incarnatam, nemo melius hac  
de re nos erudire potest quàm ipse Spiritus S. in scripturis, & pre-  
cipue in illustri illo loco Ioh. 1. v. 14, ubi inquit: Verbum caro fa-  
ctum est: Vbi certè per VERBUM non intelligenda est vox ali-  
qua evanescens, qualia sunt verba hominum, sed coëssentiale il-  
lud verbum Patris; s. Filius Dei unigenitus, uti hoc ipsum etiam  
statim in primo versu ejusdem capituli videre est, ubi aperte habe-  
tur quòd DEVS erat VERBUM.

III.

Divina proinde natura incarnata est, non quidem Patris, non  
Spiritus Sancti, sed ea, quæ proprietate caracteristicâ secundæ  
personæ est limitata, hoc est, Filius Dei unigenitus, qui ex Patre  
natus ante omnia secula, lumen de lumine, DEUS verus de DEO  
vero, genitus, non factus, consubstantialis Patri, per quem omnia  
facta sunt.

IV.

Patet hinc quid responderi debeat quando queritur: An non  
essentia divina possit dici incarnata? Simpliciter enim hinc respon-  
dere non est concessum, si velimus illorum delirium effugere, qui  
totam Trinitatem incarnatam esse dixerunt. Proinde distinguen-  
dum fuerit inter duplicem considerationem essentia divina: vel  
enim consideratur ea absolutè & simpliciter, prout scilicet omnibus  
tribus personis Trinitatis est communis, & hoc respectu eam nullo  
modo

modo incarnatam dicimus: vel relatè, prout essentia divina certo quopiam personali charactere limitata, & vel essentia divina gignens, vel genita, vel procedens intelligitur, & sic rectè dixeris, essentiam divinam genitam esse incarnatam, quæ nihil aliud est, nisi ipsissimus Dei Filius.

V.

Etsi autem uti rectè monet Formula Concordia p. 726. Filius Dei per se integra & distincta persona est, adeoq; verus substantialis perfectus Deus cum Patre & Spiritu Sancto ab æterno fuit: quod tamen in plenitudine temporis ille humanam naturam in unitatem suæ personæ assumpsit, id non sic accipiendum est, quasi duæ jam in Christo personæ, aut duo Christi facti sint, sed q; Christus Iesus jam in unâ personâ simul verus sit æternus Deus ab æterno ex Patre genitus, & verus homo è laudatissimâ illâ virgine Maria natus.

VI.

Circa modum incarnationis duo præcipuè notanda sunt, i. λόγος incarnatum fuisse, non Physico & naturali modo secundum consuetum naturæ ordinem; sed divino planè & hyperphysico, obumbratione scilicet altissimi & virtute Spiritus Sancti, uti ipse Angelus loquitur, Luc. 1. v. 35. qui massam B. virginis Mariæ peccato pollutam sanctificavit, & ad concipiendum sanctissimum hunc foetum idoneam reddidit.

VII.

Sed fortè obijciat aliquis: Si à Spiritu Sancto Christus est conceptus, cum Spiritus Sanctus erit Christi Pater, atque sic Christus secundum humanam naturam verè πατήρ dici non poterit? Verùm respondetur, argumentationem hanc non procedere, quia Christus non uno & eodem modo à Spiritu Sancto & B. Maria est conceptus; siquidem uti D. inquit Augustinus, de Mariâ virgine materialiter Christus est conceptus, & ex ejusdem substantiâ: de Spiritu Sancto verò effectivè & virtualiter, id est, non ex ejus substantiâ, sed ex efficacîâ, virtute & operatione Spiritus Sancti.

I I X.

Præterea notandum, incarnationem hanc Filij Dei non fuisse successivam, sed momentaneam, in instanti eis εν τελεωθησως uti Damascenus loquitur lib. 3. c. 2. & 6. Non enim prius concepta fuit, quam adsumpta caro Christi, sed uniendo assumpta, assumendo unita: sicut & concipiendo assumpta, & assumendo concepta est.

I X.

Sed ut ad investigationem Modi unionis hujus propius accedamus: initiò extra controversiã ponimus an detur Unio in Christo, vel an ulla unquam facta sit Unio, cum illustre satis ejusdem testimonium habeamus, in loco illo celebri Iohanneo: Verbum caro factum est, non videlicet conversione unius nature in alterã, sed unione longe arctissimã, quã nihil arctius nihil contractius, sine ullã tamen mixtione, confusione aut conversione dari aut cogitari queat, uti inquit D. Chemnitius lib. de 2. naturis c. 9.

X.

Quoad unita, itidem extra controversiam est, ad quamlibet Unionem non unum sed plura requiri, quippe quæ debent uniri & conjungi, quemadmodum in hac etiam unione duæ deprehenduntur natura, divina scilicet quæ fuit ab æterno: & humana quam λόγος ex B. Virgine Mariã assumpsit sibi, univit.

X I.

De naturã divinã superius satis dictum, illamq; propriã personalitate præditam esse declaratum fuit: Humana verò in Christo non est persona ιδιοσυσελς seipsã subsistens, uti divina: neque in utero Mariæ ita formata est: ut seorsim ullo temporis momento subsisteret, & cui hoc modo alicujus individui separatam rationem habenti, persona Filij DEI postmodum accesserit: sic enim duæ in Christo personæ emergerent, & Maria non fuisset Θεοτόκος, sed hominem nudum per se existentem peperisset.

X I I.

Rectius proinde cum Orthodoxis Theologis statuerimus, naturam



turam humanam eo ipso temporis momento, quo operatione Spiritus Sancti ex substantiâ B. Virginis Mariae formata fuit, à λόγῳ s. Filio Dei assumptam esse, ita ut quæ per se esset αὐτὴ ὡσαύτῃ, id est, certam personalitatem non constitueret, jam fieret, & in perpetuum maneret ἐν ὡσαύτῃ, & suum esse in Filij Dei ὡσαύτῃ obtineret.

### XIII.

Alterum in Unione hac observatu dignum est terminus, & is quidem, terminus IN QUEM. De termino enim à quo nulla est controversia, sed de illo altero discrepantes sese offerunt sententia. Etsi enim in eo plerique conveniunt, assumptam esse naturam humanam à personâ λόγῳ, tamen partim se abhorrere dicunt à Φερίῳ illâ, quâ assertitur humana natura esse assumpta intra ipsam hypostasin τῆς λόγῳ, partim verò assumptionis hujus terminum per locum physicū ita definiunt, ut ratione tantum differre dicant has duas Φερίῳ, humana natura assumpta est in λόγῳ, & humana natura assumpta est in locum.

### XIV.

Verum hac sententia multis absurditatibus laborat: 1. enim si in loco esse & in λόγῳ subsistere solâ ratione differunt, tum natura humana eodem modo erit in λόγῳ quo est in loco, nempe naturaliter quod est absurdum. 2. consequens fuerit, naturam humanam per physicā aliquam locationem subsistere in hypostasi τῆς λόγῳ, quia nimirum per talem locationem physicam sit in certo quodam loco. 3. sequetur, nos similiter personaliter subsistere in hypostasi τῆς λόγῳ, quia humana Christi natura ratione existētiæ similis nobis est quoad locationem Physicam.

### XV.

Proinde missâ hac sententiâ ut absurdâ & erroneâ, omninô asseveramus, terminum hujus Unionis in quem, esse divinissimam personam s. illocalem hypostasin τῆς λόγῳ, in quam solam, uti citra & ultra omnem loci physici conditionem, caro hæc est assumpta: ita in eadem illocali hypostasi τῆς λόγῳ suam ὑπαρξιν s. subsistentiam, modo supra omnem localitatem longè diviniore & sublimiore obtinet.

### XVI.

Removeamus autem ab hoc mysterio omnes illos Unionis mo-

dos, qui aliâs in naturâ & rebus naturalibus locum obtinent: ut qualis offenditur in 4. humoribus vel etiam partibus similaribus & dissimilaribus corporis humani, ubi corpus humanum unum dicitur tamen si non sit ἐξ ὁμοιοῦς sed ἐτεροιοῦς partibus. Hac enim ratione neq; aeterno Patri, neq; Matri Mariae & nobis Christus esset ὁμοιοῦς, sed ut corpus compositum non est ὁμοιοῦς Elementis; ita Christus esset ἐξ ἐτεροῦν ἐτεροῦν diversa quaedam ex diversis composita species.

XVII.

Deinde neq; est Unio κατὰ Φυγμὸν qualis est cūm farinâ aquâ subigimus, & inde panem conficimus; nec est unio κατὰ σύγχυσιν, ut cūm guttula vini in magnum aliquod flumen infunditur, idēq; omninò consumitur: nec est unio κατὰ σύγκρασιν, ut cūm ex aquâ & melle fit mulsum, aut cūm ex diversis speciebus medicamentum aliquod conficitur.

XIIX.

Præterea neq; est Unio qualis est anima & corporis, cūm ex divinâ & humanâ Christi naturâ non prodeat tertium quippiam, sicut ex animâ & corpore homo, neq; Christus sit species sicut homo, sed ὑψιζόμενον μοναδικόν, cujus simile in cælo & in terrâ non extat: Quid quod hac ratione non esset admirandum mysterium & singulare, cūm ejusmodi conjunctio in genere humano quotidie, imò omnibus ferè momentis occurrat.

XIX.

Accidentalis ille modus esse nequit. Si enim talis esset, tūm ve esset respectivus vel absolutus. Priorem concedere nequimus, nisi in castra Nestorianorum secedere velimus. Deliravit enim Nestorius carnem λόγῳ fuisse unitam juxta dignitatem, honoris equalitatem, nominis similitudinem & estimationem s. reputationem, uti hoc ipsum etiam testatur de illo Cyrillus Anathem. 3. & Chemnitius libro citato cap. 7.

XX.

Neq; posteriorem approbamus: competit enim ei neq; secundum quantitatem continuam neq; discretam, nisi velimus λόγῳ personā in quantitatis predicamentum detrudere, quod longè est absurdum.

simum, neq; etiam secundum qualitatem, cum nulla ei species qualitatis attribui queat. XXI.

Deinde Mystero etiam huic non conveniunt illi unionis modi qui alioqui de Deo predicantur. Neq; enim ille admitti potest qui dicitur ὁμοουσιῶνς coessentialis, quo tres Trinitatis personae dicuntur unus Deus vel una essentia divina simplicissima. Sic enim abolita esset humanitas, & in divinitatis Essentiam absorpta: Imò sic Christus non esset Immanuel & Θεὸς ἁληθινός, nobis ὁμοούσιος.

XXII.

Neq; etiam huc quadrat ὁμοουσιῶνς ille, quo Deus adest omnibus suis creaturis, & omnia loca essentia sua implet: neq; tertius etiam, quo Deus non ὁμοῦ tantum sed etiam ἐνεργείᾳ χάριτος dicitur adesse electis 1. Cor. 3. v. 16. Nam hac ratione nullum relinqueretur discrimen inter reliquas creaturas, aut sanctos, & inter Christum.

XXIII.

Quinimò neq; quartus huc referri potest, quo scilicet beatis & angelis in vita aeterna tam arcto foedere se Deus conjungit, ut in aeternum ab illis non sit discessurus. Neq; enim beatus vel angelus vel homo unam unquam constituet hypostasim vel personam cum Deo.

XXIV.

Neq; quintus Unionis modus huic quicquam facit, Sacramentalis scilicet: quia in Sacramento signum & signatum uniuntur separabiliter, quippe cessante usu, cessat ipsa quoq; Sacramentalis Unio. Atqui hac duarum in Christo naturarum unio inseparabilis & indissolubilis manet.

XXV.

Relinquitur ergo sextus & ultimus ille μονόθετος ἢ ἐξαιρέτος, ὡς ἐπὶ Φύσιν, ὡς ἐπὶ ὕψι, & ὡς ἐπὶ πάσων κατέληψιν ut Iustinus loquitur, Unionis modus, qui PERSONALIS est ac dicitur, non quod persona personae sit unita, aliàs duo prodirent Christi, quod religioni Christianae è diametro repugnat: neq; etiam quod ventra natura ante unionem personalitate propria praedita fuerit, aliàs statueretur Christus tertium quiddam ab his diversum, uti fit in homine:

B

sed

sed quia secunda persona Trinitatis λόγος scilicet, naturam humanam propriam personalitate carentem, intra sua hypostaseos complexum ita assumpsit, ut semper cum eo unum ὁφισάμενον, hoc est unam numero personam constitueret.

XXVI.

Ne verò in hoc imperscrutabili ἁνεξεργασθέντος mysterio fluctuantibus animis circumvagemur, sapiens & pia vetustas totum hoc negotium quibusdam terminis in sacris literis fundatis explicare conata est, quos majoris perspicuitatis gratiam paucis delibare haud abs re fuerit.

XXVII.

Unitae sunt ergò duae naturae in CHRISTO primum ἀδιαίρετως καὶ ἀλότως indivisè & insolubiliter, propterea quod λόγος semel assumptam humanitatem in omnem aeternitatem retinet. Innuit hoc Angelus Act. 1. v. 11. asserens, corpus Christi quod ascendit ad caelos in monte oliveti, reditutum in novissimo die oculis nostris aspectabile, & Paulus Phil. 3. versu ultimo, affirmans corpora nostra vilissima, in resurrectione fore conformia glorioso corpori Christi.

XXVIII.

Deinde unitae sunt ἀδιαστάτως indistanter, ita ut nullum διάστημα s. intervallum inter carnem & λόγον excogitari, nedum dari possit. Corroboratur hoc ipsum ex proprio Unionis termino. Nam si caro Christi assumpta est in illocalem hypostasin τῆς λόγος, uti revera est; utiq; omnia loca & Διastήματα ab hac Unione exulant.

XXIX.

Unitae praeterea sunt ἀχωρίτως inseparabiliter, ut roq; nimirum illo respectu, qui in precedentibus terminis jam modò est adsignatus: quiq; Unionem hanc ita factam esse describit, ut ubi ubi λόγος est; ibi humanitatem assumptam, extra & citra locorum Διastήματα; sibi longè habeat unitissimam & unitissimè presentem, & non quidem uno in loco: sic enim ὑπόστασις τῆς λόγος statueretur partem extra partem habere: & uno in loco ac secundum unam partem esse incarnata: in altero verò & secundum reliquas partes

non

non esse incarnata: id quod prodigiosè absurdum: sed ubique locorum in cælo & in terrâ: uti suo loco fufius demonstrabitur.

XXX.

Faceffat proinde Calvinianorum impietas, qui blasphemare non exhorrefcunt, λόγον ita fibi univiffe affumptam humanitatem, ut totus quidem habitet in carne affumptâ, totus autem etiam habitet extra eandem carnem affumptam. Hoccine est ἀχωρίτως unitas effe naturas?

XXXI.

Tandem varijs etiam fimilitudinibus, Unionem hanc veteres illustrare confueverunt: illud potiffimum demonstraturi, q̄ sine verâ ac reali, eaq̄ arctiffimâ tùm naturarum ad fe invicem, tùm ipforum quoq̄, Idiomatum κοινωία ſ. communicatione, Unio hac fieri non potuerit. Tres illuftriores paucis libet perstringere.

XXXII.

Primum fimile defumpferunt ex unione lucis & ſolis. Sicut enim lux primogenea primo die creata exiſtens ἀὐλ & ἡγὴ ἀπώματ &, poſteâ corpori ſolari, quod quarto die creatum ſcribitur, unita, facta eſt quodammodo ἐνσώματ &, ubi due diſtinctæ ſunt nature lucis ſcilicet & corporis ſolaris, quæ ita unite ſunt, ut unus ſit Sol lucidus, & unum ac idem lumen illuſtrans omnia; ita in Chriſto due differentes ſunt nature, divina quæ ab æterno fuit, & humana in tempore formata, quæ unite ſunt ad unum ὑφῖς ἀμενον.

XXXIII.

Alteram fimilitudinem mutuati ſunt à ferro ignito, ubi itidem due diverſe nature copulantur, ignis ſcilicet & ferrum, & ferro tribuit ignis potentiam tùm urendi tùm lucendi: Sic etiam λόγ & tribuit carni humane ſuas proprietates & idiomata, uti hoc ipſum in ſequentibus diſputationibus fufius explicabitur.

XXXIV.

Tertiam petierunt ab Unione anime & corporis, quæ teſte Iuſtino omniū eſt antiquiffima, quamq̄ Athanaſius in hunc modum explicat: ſicut anima & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.

Cete-

Ceterum de istis similitudinibus cogitandum quod Iustinus inquit: accommodatum paradigma est, si non ex omni, ex aliqua tamen parte. Et illud Damasceni lib. 3. cap. 26. non necesse est paradigmata omni modo & absque defectu similia esse rebus ipsis, sed aliquid habere simile aliquid dissimile: Quod verò per omnia simile est, non exemplum est sed idem: præcipue verò de Deitate & incarnatione impossibile est exempla, quæ per omnia similia sunt, invenire.

## CAPVT II. ANTITHESIS.

I. Ad classem errantium initio referimus Nestorium cum suis asseclis, qui partim negavit Mariam esse θεοτόκον, & sic Unionem personalem duarum naturarum in utero Mariæ factam esse, inficiatus est: partim verò communicationem tum naturarum, tum idiomatum mordicus negavit: Vnde impia hæc vox ex ipso audita: Noli gloriari Iudæe: non enim DEVM sed hominem crucifixisti.

II. Alterum locum obtinent Eutychniani, quorum ea fuit confessio, quam teste Evagrius lib. 1. c. 9. his verbis concepit ipse Eutyches. Confiteor Dominum nostrum, antiquam divinitas cum humanitate cōjungeretur, ex duab. fuisse naturis. At post harum rerum conjunctionem unam solum naturam in eo extitisse affirmo, idem etiam corpus Domini, non ex eadem substantia cum nostro corpore constare affirmo.

III. Quo pacto verò in hunc furorem Eutyches devenit, id ipsum luculenter explicat Vigilantius lib. 2. contra Eutychem: Nestorius duas intuens naturas, duas putavit esse personas: Eutyches unam respiciens personam, unam maluit esse naturam: & quia in Christo simul est naturarum proprietas & personæ unio, Nestorius attendens ad proprietatem Naturarum excidit à personæ unione, & Eutyches unam intuens Personam, à naturarum proprietate descivit, & ipsam divinitatem asseruit passam.

IV. Tertium sibi vendicant Iesuvvite & Calviniani, qui mutuum muli hoc in articulo scabentes, partim unionem hypostaticam definiunt per nudam sustentationem naturæ humanæ in personâ τὸ λόγος: partim verò cum Nestorianis negant communicationem tum naturarum tum Idiomatum.

V. Prioris erroris impietas ex ijs, quæ in thesi proposita sunt, satis evidenter patet; posterioris verò vanitatem subsequens demonstrabit Disputatio.

Soli Deo gloria.

05 A 1912

ULB Halle

3

003 784 908




V017 64









B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



atio  
De

A CHRISTI

VARVM IN EA  
nem Hypostaticam:

ANNVENTE:

ESIDE

Clarissimo Viro

ARTO HÜTTERO,

re & Professore Publico,  
reverenter colendo,

Uitebergensi exercitij  
proponit

olnerus Ratis-

ensis.

Septembris.

is in Auditorio majori.

BERGÆ

per Iohan. Gorman,  
DC. VII.



*Amno M. Christopholo Donavero  
Disertissimo*

17  
12

